



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Gr. 17

IN LIBRIS
UNIVERSITATIS
SACHSEN-ANHALT
MAG. DR. H. J. W. ...
HALLÉ
18...



G n. 17.



LIBRARY
UNIVERSITY OF
SAXONY-ANHALT
MAGDEBURG



Votum

PRO FELICI ITINERE
D. D. MAVRITII HASSIÆ
LANDGRAVII, &c.



*Dominus custodiat te ab omni malo. Dominus custodiat exitum tuum,
& introitum tuum, ex hoc tempore vsque in seculum.*

PSALM. CXXI.




ANNO MDCII.

Votum

PRO FILLI...
-B.D. MAV...
LANDOR...

...



...





AD D. D. MAVRITIVM, LAND-
grauium Hassiæ, Principem pietate & erudi-
tione non minùs illustrem, quàm imperio o-
pibùsque florentem: qui Franciam petens
Geneuâ transiit, notus nulli: sui tamen moni-
mentum reliquit, exaratis in vrbis Geneuen-
sis elogium versibus, & proprio symbolo,
cũ duabus eximiis sententiis, alterâ Augusti-
ni, Chrysofomi alterâ, adscripto: V. Cal.
Sext. Anni MDCII.



RRAS, MAVRITI, famâ super æ-
thera note,

Ignotum dum te posse latere pu-
tas.

Soles, & illustri fulges splendore
coruscus:

Obtinet & solem clara Geneva suum.

Sic gemini coeunt soles, dum tecta Geneva

Magnus parua subis, sit mora parua licet.

Et vis nesciri gemini sub lumine solis?

Desine: sol geminus lucida cuncta facit.

A. ij.

Præterea monumenta tuæ mentis que manûsque
(Donec POST TENEBRAS LUX superabit)
Ergo Lemanicolæ quæ non potuerunt sorores (erunt:
Præfenti SALVE dicere voce tibi:
Accitis Rhodani doctum cantare peritis
Naiadibus, geminât ALTER APOLLO vale,
ALTER APOLLO vale: Nam sic ignotus abiit
Admeti quondam doctus Apollo domo.
Vicina glomerantur Oreades: aduenit unâ
Auditos repetens vocis imago sonos.
Audiit Allobrogum tellus, audiuit & ipsa
Urbs olim iussis condita, Plance, tuis.
Et miratus Arar, Rhodano cum compare, votis
Expetit ut faustum Francia pandat iter.
Francia pande sinum: succedit sedibus hospes,
Qui meritò magnus dicitur orbis honos.
Littora siue petit Massylo nota colono,
Sunt ubi Phocaicâ tecta locata manu:
Siue Pyrenigenæ tumulos arceis que Garumna,
Inde que Xanctonicos optat adire lares:
Siue oram Armorici legit æquoris, & cupit agros
Cernere, quos pingues Neustria diues arat:
Seu quos Fræciadum Ligeris rex ditat aquarum,
Quos Pomona, Ceres, Pan, & Iacchus amant:
Siue tot egregias urbes, operumque labores,
Sequana mirandos quos sinuosus habet:

Mátrona siue suis quos *Et* rigat *et* Axona lymphis,
Quósve Somona suis, Mosa, Mosella suis:
Tota faue: Themidem nec nõ cū Pallade Martem
Excipis, hunc unum, Gallia, dum recipis.
Commissumque tibi Rheno sic redde parenti,
Gaudeat ut reditu Teutonis ora breui.
Sic tua cum nostris, sic Hassica vota secundet,
Mauriti (qui te ducat agátque) Deus:
Ut reducem veneretur, amet, colat Hassia: túque
Hanc VIRTUTE redux CONSILIOQUE bees.

ANTONIVS FAYVS.

A. ij.






AD EVNDEM.

AT tu, mortalem quamvis indute figuram,
Qui modicas nostra ducis in urbe moras.
Nosceris, o superis proegnate penatibus Heros:
Quam bene, quod nostra est orbis in urbe decus!
Nosceris o Princeps: mortales inter ut olim
Agnita non dubiis numina celsa notis.
Ipsa genas frustra ferrugine Cynthia tingit:
Frritaque obtexunt nubila Solis equos.
Te sancti produnt habitus, vox te aurea prodit,
Plenus est Augusto lumine frontis honos.
Arvia Mauritiū balbè, fontesque loquuntur,
Mauritium Tellus gestit et ipsa loqui.
Mauritium nemus omne sonat, pictaque volucres,
Nec silet incepta conscia fama via.
Hei, quod Io Paan, quod Io ter dicere Paan,
Publica letitiae quod dare signa vetas.
Quod superest, tacito duplicamus pectore vota:
Te pia laus, tectus te veneratur honos.

IAC. LECTIVS.





AD EVNDEM.

PRINCEPS, benignos cuius amat sequi
Fœcunda nutus Hassia: quem Themis,
Quem docta Pallas, quem Choraæ
Thespiadum, Pietasque vera
Clarant per orbem: cur atava decus
Pralustre gentis, stemmata, imagines,
Nomenque cœlesti Genevæ
Ingrediens: senis & Lemani
Miratus undas, & Rhodano Aruiam
Iunctam marito, & mœnia, quæ favor
Cœlestis ambit, quæ Gigantum
Sape truces pepulere motus,
Urbes petisti Franciadum ilicet
Nunc pace letas, quam fouet hosticos
Prudente conatus retundens
Arbitrio validaque dextra
Henricus ingens? ô, libitum tibi
Monstrare nostris civibus agnitos
Vultus, ut exultans beatis
Ominibus, streperoque plausu,
Faustisque votis excipere hospitem
Curasset omnis concita civitas

A. iiij.

Cunctis amicum, qui supremi
Cœlicola bona iussa servant.
Te machinarum rauca tonitrua,
Te ripa vernans carulei Lacus,
Riui loquaces, colliumque
Pampineus viror, igne festo
Æther coruscans, proxima turribus
Nostris Palati pradia, fertiles
Horti sonassent, perque montes
Aërios resonasset Echo.
Te lecta pubes, te comitans Senum,
Cœtus per urbem, te schola doctior,
Et ferre queis lauros dedere
Pegasides, facilisque Phœbus,
Claris beassent vocibus aduenam,
Qui casta vatum munificus colit
Delubra princeps, qui veretur
Sydereas temerare leges.
Qui iura laudans egregiis studet
Mentes tenellas imbuerere artibus,
Quas ipse callet: quem sonoros
Haud pudeat recitare versus,
Et pleetra puro pollice eburnea
Tractare clausum Pierio specu,
Umbrasque carpentem videntes
Castalij prope fontis alueum.

Qui

Qui dura sacris bella prioribus
Cessere Reges magnanimi, & suas
Quaeis plebibus leges subactis
Cura fuit dare, moribusque
Firmare iustis pectora, non lyra
Spreuere dulces melliflua modos,
Lati fatigatas amatis
Carminibus recreare mentes.
Sic natus olim Thetide, qui ferox
Repressit armis Dardanos duces,
Cheirone tendebat magistro,
Plectra, lyram, citharaeque chordas.
Et post labores redditus otio
Augustus, inter latus erat sacros
Cantare vates, aureoque
Saepe melos variare plectro.
Quid? Ipse psalter, Isacidum potens
Qui Rex cateruis praefuit, & suum
Turmas rebellantes coegit
Ferre iugum rigidosque iussus:
Quam saepe mentis lenit asperos
Pressa dolores, cantica nablio
Dictans suavi, blandulumque
Pectinem amans sociare voci?
Impura sed gens cui vitium placet
Virtute spreta: quaeque potentium


B j.

*Sequitur aulas, damnat artes
Palladas, nitidisque Reges
Favere non vult phœbigenum choris.
At, quicquid audens garriat, afferunt
Musa decorem, sauentes
Consilio moderantur iras
Atque estuantes pectoris impetus:
Fastum reuellunt, temporibus malis
Solantur, & rebus secundis
Usque docent sapienter uti.
Sic perge semper: prasidio fove
Musarum alumnos: Numinis ut timor
Quos iunxit idem, perge amare,
Perge suum superis honorem,
Illustris Heros, reddere Aui memor,
Qui veritatis vixit Olympica
Vindex verendus, quum per arua
Teutonice rediuvna gentis
Fulgere cœpit, perque pericula,
Per impotentes pontificum minas,
Per tela, diuersasque fraudes,
Atque cruces agitata crevit.
Et quas precari non licuit tibi
Tunc faustitates (quando suum hospitem,
Te vidit ignotum Geneva)
Perpetuas tibi nunc precamur:*

*Seu rura lustrans Francigenum aspicias
Urbes opimas, uberius solum,
Plebes beatas, si duellis
Anteferant placida quietem:
Seu nunc reuersus regna vides tua,
Charos penates, Principis & pij
Cunctas per vrbes pro salute,
Pro reditu pio vota fundi.*

IOANNES IACOMOTVS
BARRENSIS.

B. ij.





A D E V N D E M.

VRBIS quum nostra velles non cognitus ulli,
Videre nuper mœnia,
Princeps Hassiadum, te tanto Principe digna
Tectum retexit indoles,
Incessus facili mixtus gravitate verenda
Vultus benigni dignitas:
Sermones docti, prudentia rara, pudici
Placens venustas pectoris.
Splendidore polos tunc lustrans lampade Phœbus,
Diésque candida Hospitem,
Monstrabat venisse atavis prælustribus ortum,
Et lata ubique murmura.
Haud facile Heroes lateant, mox indicat illos
Latere virtus nescia.
Celabat natum Thetis, ne Troica bella
Petens periret ocyus.
Verùm virginea vim veste nequivit Achilles
Velare bellacem diu.

IOANNES IACOMOTVS
BARRENSIS.





AD EVNDEM.

VENTVRVM quare DOMINVM nos HASSIA ce-
An quòd eras nostris inuidiosa bonis? (las?

Officiosa parum nostra culpaberis urbi

HASSIA, si DOMINI conscia mentis eras.

Culpa tua est, meritos quòd nō Vrbs soluit honores,

Principis in laudes ingeniosa tui.

Culpa tua est, ludos quòd non agit hospite tanto:

Et dolor hic ciues impatienter habet:

Spectasset dulcem populi letantis amorem,

In domini amplexus urbe ruente tui.

Et collatus honos si pugnavisset amori,

Credo quòd & victus succubisset honos.

PAVLVS STEPHANVS.

Eiusdem.

Quòd non exceptus turba plaudente fuisti,
Festa fuit quòd non te veniente dies:

Detulit urbs si non quales debebat honores,

Plena salutantum nec fuit aula tibi:

Excusa, priscis heroibus orte, SENATVM,

Qui talem DOMINVM nescit in urbe sua.


Qui te, non saltem dicta acceptaque salute,


Inque salutatum sic abiisse dolet.

B. iij.

*Nec vidisse sui populi gratantis honores,
Et ferat aduentu gaudia quanta tuo.
At nunc absenti, qua te regione viarum
Inueniant, animi carmina pignus eant.
Et longum salue superis dilecta propago.
Quasque petas terras, quas peregrinus aquas,
Opto tibi cursus faciles, Zephyrosque secundos
Dum repetis patria dulcia regna tua.*

PAVLVS STEPHANVS.





LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
SAXONY-ANHALT
MAGDEBURG



N^o 1249

8^o

X2207122

ULB Halle 3
006 635 644



M. G. V. D. T.






Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.



2.

Notum
ICI ITINERE
RITII HASSIÆ
D GRAVII, &c.



*ni malo. Dominus custodiat exitum tuum,
ex hoc tempore usque in seculum.*

ALM. CXXI.



NO MDCII.

